



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XXXIX. De S. Osvvaldo Anglorum rege.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

Domino se manducare, siue nō manducaret, eque Domini  
caussa non manducare. & nominatim de S. vidua Iudith  
testatur Scriptura, quod ieiunauerit omnibus diebus vitæ <sup>Iudith</sup>  
suæ præter Sabbata, & neomenias & festa domus Israel. <sub>ca p. 8.</sub>

Solet verò hic sanctus Martyr miro animi affectu à con-  
terranea sibi Hispanorum gente coli & in periculis inuo-  
cari: quibus frequentissimè præclaras admodum victorias  
contra eorum hostes, festo suo potissimùm die, impetrauit,  
vt nominatim omnibus nobis constat de celeberrimo illo  
prælio ante fanum S. Quintini anno 1557. inito constat, in  
quo Augusti decima die eidem Sancto sacra Galli, auspicijs  
Philippi II. Principis nostri & regis Catholici, superati,  
cæsis multis, saluis paucis, nobilem victoriæ palmam His-  
panorum exercitui Belgarum proceribus rem strenuissimè  
agentibus, tradiderunt. vnde Chronicon istud extat:

*LVX saCra LaVrent I, GaLLorVm sangV Ine sordet,  
sVb QVint InopoLi Vt Castra PhIliPpVs habet.*

Inde repentina illius oppidi deditio fuit subsecuta, in cuius  
beneficij memoriam cælesti suo auxiliatori Philippus II.  
prodigiosum illud & octauum mundi miraculum meritò  
dicendum templum in Hispania ædificauit, quod, Santo  
Lorenzo en Escorial, hodie nominatur.

---

CAP. XXXIX.

*De S. Oswaldo Anglorum rege.*

**A**B Oswaldo Anglorum Episcopo, ad Oswaldum  
Anglorum regem pariter sanctum, stilum conuer- <sup>1. 1. c. 6.</sup>  
to. Mira sunt quæ de sancto hoc rege narrat Beda  
atque inter cetera de amore & beneficentia eius singulari

in pauperes. retentum & repressum p̄nè calamum ne lectori fastidio sim, protrudit eximium hoc eius exemplum. Confederat die festo Paschæ cum Episcopo Aidano ad prandium, positusque erat in mensa coram eo discus argenteus regalibus epulis refertus, iamque erant manus ad panem benedicendum missuri, cum subito intrat minister ipsius cui suscipiendorum inopum cura erat demandata, & indicat regi quod multitudo pauperum vndecumque adueniens maxima per plateas sederet, postulans aliquid elemosynæ à rege. qui mox dapes sibi appositas deferri pauperibus, & discum confringi atque eisdem minutatim diuidi præcepit. quo viso pontifex qui assidebat delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius & ait: Numquam inueterascat hæc manus. quod & ita iuxta votum benedictionis eius prouenit. nam cum interfecto illo in prælio, manus cum brachio à cetero corpore essent resectæ, contigit vt hætenus incorruptæ perdurent, argenteo loculo inclusæ & dignâ à cunctis honoratæ veneratione. Quomodo autem anniuersaria interfectionis suæ die immanem pestem ab Anglia propulsauerit, idem Beda nobis enarrabit. Anno 681. quo Australes Saxones fidem Christi susceperant, multas Britanniaë prouincias mortalitas sæua corripiebat: quæ cum monasterium quoque à Wilfrido Eboracensi Episcopo fundatum nutu diuinæ dispensationis attingeret, multi que passim de hac vita raperentur, visum est fratribus triduanum ieiunium agere & diuinam suppliciter exorare clementiam, vt misericordiam sibi dignaretur impendere, siue periclitantes hoc morbo à præfenti morte liberaret, seu raptos è mundo à perpetuâ animæ damnatione seruaret. erat tunc temporis in eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadē tactus infirmitate non paucotempore, recubans in lectulo iacebat. Cum ergo secunda memorati

memorati ieiunij & supplicationis dies ageretur, contigit fortè ipsum puerum hora fermè secunda diei in loco in quo æger iacebat, solum inueniri. cui diuina dispensatione subito beatissimi Apostolorum principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multùm simplicis ac mansueti animi, sinceraque deuotione Sacramenta fidei, quæ suscepit seruans. Salutantes ergo illum verbis pijsissimis Apostoli dicebant: Noli timere fili mortem pro qua sollicitus es: nos enim te hodierna die ad cœlestia regna sumus perducturi, sed primùm expectare habes donec Missæ celebrentur ac viatico Dominici corporis & sanguinis accepto, sic infirmitate simul & morte absolutus, ad æterna in cœlis gaudia subleueris. Clama ergo ad te presbyterum Eappam (erat is monasterij præfectus) & dicito illi quia Dominus exaudiuit preces vestras & deuotionem ac ieiunia propitius aspexit, neque aliquis de hoc monasterio siue de adiacentibus ei possessionibus, hac clade vltra moriturus est: sed omnes qui alicubi de vestris hac ægritudine laborant, resurrecturi à languore pristinam sospitatem recuperabunt, præter te solum qui hodierna es die liberandus à morte & ad visionem Domini Christi cui fideliter seruisti, perducendus in cœlum, quod diuina vobis misericordia per intercessionem religiosi ac Deo dilecti Regis Olivaldi, qui quondam genti Nordanhumborum & regni temporalis auctoritate & Christianæ pietatis quæ ad regnum perenneducit, deuotione sublimiter præfuit, conferre dignata est, hac enim die idem Rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad superna animarum gaudia assumptus in cœlum, electorum est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus in quibus defunctorum (nota antiquissimū iam ante mille ducentos annos monasticorum Libitinariorum vsum) est adnotata depositio, & inuenient illum hac die raptum esse de sæculo. Celebrent ergo Missas per

cuncta monasterij oratoria huius, siue pro gratiarum actione exaudita suæ deprecationis, siue etiam in memoriam præfati regis Oswaldi, qui quondam ipsorum genti præerat, ideoque pro eis quasi pro suæ gentis aduenis supplex orabat ad Dominum; & cunctis conuenientibus ad Ecclesiam fratribus, communicent omnes sacrificijs cœlestibus, & ita soluto ieiunio corpus quoque suis reficiant alimentis.

Quæ verba cum omnia vocato ad se presbytero puer narrasset, interrogauit eum sollicitus quales essent habitu vel specie viti qui sibi apparuissent. Respondit: Præclari omnino habitu & vultuerant lætissimi ac pulcherrimi quales numquam antè videram, neque aliquos hominum tanti decoris ac venustatis esse posse credebam. Vnus quidem attonsus erat vt clericus: alius barbam habebat prolixam, dicebantque quòd vnus eorum Petrus, alius vocaretur Paulus, & ipsi essent ministri Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi ad tuitionem nostri monasterij missi ab ipso de cœlis. Credidit ergo verbis pueri presbyter, & statim egressus requisit in Annali suo & inuenit eadem ipsa die Oswaldum regem fuisse peremptum. vocatisque fratribus parare prandium (non statim scilicet sumendum, sed hora competenti, deuotione expleta) Missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit, simul & infirmanti puero de eodem Sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandauit. Quibus ita gestis non multo post, eadem ipsa die puer defunctus est suaque morte probauit vera fuisse verba quæ ab Apostolis Christi audierat. Sed & hoc verbis eius testimonium perhibuit quod nemo præter ipsum tempore illo ex eodem est monasterio raptus de mundo. Ex qua nimirum visione multi qui hæc audire potuerunt & ad exorandam in aduersis diuinam clementiam & ad salutaria ieiuniorum remedia subcunda  
sunt

funt mirabiliter accensi. Et ex eo tempore non solum in eodem monasterio, sed & in plerisque locis alijs cœpit annuatim eiusdem regis ac militis Christi natalitius dies Missarum celebratione venerari. Hæc de his Beda. Et meritò Missarum celebratione dies ei natalitius celebratur, qui cœlesti declaratione quasi publicè canonizatus est. Excessit è vita 5. Augusti anno 642. Vulgatum est autem & in consuetudinem prouerbij versum quod etiam inter verba orationis, vt & Osyvaldus Episcopus præcedenti capite relatus, vitam finiuerit. nam cum armis & hostibus circumseptus iam iamque videret se perimendum, orauit ad Dominum pro animabus exercitus sui. vnde dicunt Angli in prouerbio: Deus miserere animabus, dixit Osyvaldus cadens in terram. Cuius quanta fides in Deum quæ deuotio mentis fuerit, id post mortem virtutum miraculis claruit. namque in loco vbi pro patria dimicans à Pagana gente Paganoque rege Merciorum interfectus est, vsque hodie sanitates infirmorum & hominũ & pecorum celebrari non desinunt. vnde contigit vt puluerem ipsum vbi corpus eius in terram corruit multi auferentes & in aquam mittentes suis super hoc infirmis multum commodi afferrent. qui videlicet mos adeò increbuit vt paulatim ablata inde terra fossam ad mensuram statuae virilis altam reddiderit.

Bedæ li. 3.  
cap. 12.

Idem li. 3.  
cap. 9.

## C A P. XL.

*De S. Nicolao Tolentino.*

**D**E hoc viro sancto Ordinis Eremitarum sub regula sancti Augustini militantium alumno, ita eiusdem Ordinis nuper Religiosus & Exprovincialis Antuerpiæ

l. 3. vite 34.  
August.  
cap. 67.